


**Programma In Introductionem Viri Consultissimi & Clarissimi Dn. Simonis
Toelemanni I. U. Doctoris celeberrimi eiusdemq[ue] Professoris designati.
Instituetur instructio die crastino hora 9. mat.**

Rostochii: Ferberus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734589131>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1621

- 1) Progr. in recitationem legum. Joh. Arvenus
- 2) " in passionem J. C. "
- 3) Lithard Lubinus
4. Proz in introduct. Simon Todemann

PROGRAMMA

IN

Introductionem

VIRI

Consultissimi & Clarissimi

DN. SIMONIS TOELEMANNI

J. V. Doctoris celeberrimi,
ejusdemq; Professoris designati.

Instituetur introductio die crastino horâ 9. mat.



TIPIS ARGUSTINI FERBERI ANNO 1621.

COLLEGIUM PROFESSORUM AMPLISS. SENATUS ROSTOCHIENSIS

Lecturis S. P. P.



E antiquitate, majestate, jucunditate, necessitate, utilitate JURIS, si quis operosum instituere velit encomium, ei fortasse non præter rem objici possit illud *Antalcidæ*: qui cum quendam encomium *Herculis* instituere audisset, respondebat, supervacaneum esse, laudari id, quod laude non indigeat, quodq; apud omnes in magno habeatur pretio. Ita Jurisprudentiam qui vituperaverit, certum est extitisse neminem, cui modò *φείες* & sensus integri. Quamvis enim Plato indicium malè constitutæ Republicæ esse affirmet, si multi in ea Jcti inveniantur, & de Matthia Corvino referat Ludovicus Vives, quod omnes Jctos ex Panno-

Pannonia expulerit, ac de Friderico III. Imp.
Cuspinianus memoret, eum parum Jctos di-
lexisse, hæc tamen non nisi de Rabulis & fori-
tinnabulis, de illis, qui præter nomen & ex-
ternum schema cum Jctis nihil commune ha-
bent, accipienda sunt. Qui ipsos peritos juris
interpretes vituperat, non homines lædit, sed
leges, earumq; auctorem, Deum, eamq; impe-
dit scientiam, quæ omni amore & veneratione
est dignissima. Nam cuiq; jus suum tribuit,
quid justum, quid injustum, discernit, præmiis
bonos allicit, supplicii fontes afficit, quomo-
do honestè vivendum, quomodo nemo læ-
dendus, præscribit: per eam stat choro & fo-
ro justitia, literis decor: per eam Reges regnant,
& Magistratus justa decernunt. Hæc regina il-
la & domina mundi est, quæ consolatur mœ-
rentes, excitat afflictos, erigit jacentes: quæ
secleratis est exitio, innocentibus præsidio,
viduis & Orphanis auxilio: quæ improbis est
terrori, probis ornamento, civitatibus firma-
mento: quæ prece non flectitur, quæ pretio
non mensuratur. Hinc cultores ejus, & qui
strenuam ei operam navant, boni & æqui no-
sitiam profitentur, illicita ab illicitis secernunt, æ-
quum ab iniquo separant, non tantum à summis
impe-

Imperatoribus Sacerdotes dicuntur iustitiæ, sed etiam amici, imò *Patres* Imperatoris; quin & domus eorū honestissimo titulo à Cicerone indigentur, & Oracula civitatis appellantur. Quae etiam de causa, nobilitate, aliisque privilegiis ac immunitatibus donantur, ut, Tiraquello annotante, vel Comitum conjugem matrimonio sibi jungere possint: ut superare credantur Decios, Marios, Camillos, Scipiones, bellicosque duces: dum videlicet fas atque nefas sequestrant, dubia causarum fata dirimunt, publica & privata curant, erigunt ac reparant, quod fracta mole fatiscit, humano generi provident, pro patriæ libertate sedulo laborant, confisi fortissimo Legum munimine. ò artem divinam! ò scientiam omnium literarum monumentis dignissimam! ò beatos illos, quorum ita est affectus animus, ut, post sacras literas, nunquam suavius quam in ejus studiis conquiescat, & in hoc *Minervæ populo* habitet! Quare grato ore merito vehimus, & prædicatione sempiterna celebramus, Illustrissimorum & Magnificorum Academiae hujus Compatronorum pietatem, quod, ut reliquis bonis artibus & facultatibus, ita & juris studio gratissima hæcenus in hac Academia fecerunt omnia, illud liberaliter con-

servando, Professores idoneos constituendo:
ut nempe sint, qui rectè edocti doceant alios:
qui exculi colant alios: qui experientiâ præcla-
ri, doctrinâ & virtutibus imbuti, ducant alios, &
sacrarum legum sinceritatem à Scævola, Papini-
ano, aliisque juris verticibus acceptam, conser-
vent, & sartam rectamque posteris transmittant.
Quam arduam juxta & sacram provinciam
Amplissimus & Prudentissimus urbis hujus Se-
natus, Patronus noster honorandus, superiori-
bus diebus, Viro Consultissimo, Clarissimo &
Excellentissimo Dn. D. SIMONI TOELEMANNO
Jcto celeberrimo commisit, eumque in ordinem
Professorum juris honorificè cooptavit,

Quamquam enim hæc ipsa functio viro Con-
sultiff. & Clarissimo Dn. JOHANNI ALBERTO
GRYPHIO J. U. D. antehac commendata fue-
rit, tamen cum, ob religionis postmodum appa-
rentem diversitatem, is admitti non potuerit, sur-
rogatus est, de quo loquimur, Dn. TOELE-
MANNUS.

Natus hic est Stralesundii in Pomerania: à tene-
ris ludum literarium frequentavit, & Latinæ Græ-
cæque Linguae elementa, unà cum Logicis, feliciter
imbibit. Argentoratum anno ætatis decimo ter-
tio missus, in convictu fuit M. Conradi Dasypod-
dii Ma-

dii Mathematici, à quo bonam Euclidis partem
explicari audivit, Astronomica à M. Davide
Wolkensteinio, Ciceronis nonnulla à Johanne
Sturmio, & Melchiore Junio, & Aristotelis orga-
num à D. Joanne Ludovico Havvenreutero, Phi-
losopho acutissimo. Accersitus ab Illustri Dno Phi-
lippo, Dn. Hermanni Simonis Filio, Comite Lippi-
ano, vixit in arce Pymontana Westphalia, ad ali-
quos menses; sed cum aulica vita displiceret, contu-
lit sese in Galliam; ubi Dn. Franciscum Horoman-
num, & Dn. Jacobum Cujacium, præclarissimos
JCos, vidit, & Biturigibus potissimum substitit. Li-
teris verò parentum evocatus, Argentinam redijt, ad
Dn. Georgio Obrechtio, Dn. Laurentio Tuppio, &
Dn. Huberto Giphanio, Juris Professoribus excel-
lentissimis operam dedit. Postea in patriam revoca-
tus, peste mox grassari incipiente, Rostochium in-
gressus, audivit Dn. Bartholomæum Klingium, &
Dn. Henricum Camerarium, JCos eximios, & Dn.
Christophori Sturtzij, itidem JCr clarissimi, disputa-
tionibus juris privatis frequens interfuit. Deinde,
permissu parentum, in Italiam profectus, Patavij
audivit celeberrimum jC. Dn. Jacobum Menochi-
um, & Dn. Guidonem Pancirolium: Senarum
quoq; studio in Hetruria nomen dedit: perlustrata
deinde Bononia, Florentia, Pisis, Roma, Neapoli,
Puteolis, Baijs, Cumis, Capua, Flaminia, Spoleto, Pi-
ceno, Laureto, Ancona, Senogallia, Arimino, Ra-
venna, Venetijs iteratâ vice, Mantuâ, Bergamo, Bri-
xiâ, Cremonâ, Mediolano, Liguriâ, Insubribus subal-
pinis,

pinis, per Sabandos, & Helvetios, Basileam, & rursus
Argentoratum venit: ubi flumini se committens, se-
cundo Rheno, mutatis subinde, pro cuiusq; loci
consuetudine, navigijs, in Belgium decessus, Lu-
gduni Batavorum audivit Clariss. Virum Justum Li-
psium, Dn. Hugonem Donellum, & Dn. Lubertum,
Honradiū, Jctos. Sed turbis bellicis invalescentibus,
Agrippinam satis periculoso itinere pervenit, Col-
legioq; juris inscriptus est. Cū autem, propter Re-
ligionis diversitatem, gradum illic assumere animus
abhorreret, Marpurgi Anno 1588 Doctor utriusq;
Juris magnā cum laude renunciatus est, à V. Cl. Dn.
Hermanno Vultejo, Decano, præsentibus & gratu-
lantibus Dn. Regnero Sixtino, Dn. Nicolao Vigelio,
Dn. Hermanno Lersnero, Dn. Philippo Matthæo,
Jctis excellentissimis, in primis Reverendo & clariss.
Dno D. Ægidio Hunnio, Theologo de Ecclesia
Christi optimè merito. Reversus Agrippinam, Prax-
in fidelissimè exercuit: Unde Augustam Vindelico-
rum, in augustum collegium Consiliariorum & Ad-
vocatorum liberæ illius Reipubl: Imperialis, evoca-
tus, desiderio liberioris exercitij Evangelicæ no-
stræ Religionis, seu Confessionis, oblatam functio-
nem acceptavit, & in vigesimum usq; annum con-
stanter & maximā cū laude gessit. Simul quoq; Prin-
cipum, Comitum, Nobilium, ac Rerumpublicarum,
seu Civitatū, in Suevia, Bavaria, Franconia, Alsatia,
& alijs Locis, clientelas sustinuit, donec Amplissimi &
Prudentissimi Senatus Rostochiensis literis, huc, ve-
lut in Patriam, honorificè retraheretur, quò superio-
ris anni 1620, mense Januario appulit, & post
quinq;

quinq; hebdomadas, charissimam uxorem mox ægro-
tare incipientem doluit, & sub initium Maij, ex hujus
vitæ consortio amisit: & anno luctus nondam comple-
to, in morbum dextri cruris, quem Scorbutum nomi-
nant, incidit, gravissimosq;, dolores & tormenta pati-
enter sustinuit, aliquot septimanis duritie suræ necdum
prorsus emendata.

Dum autem apud nos vixit, ea eruditionis & iudicii
dona Amplissimo Senatui probavit, ut dignissimus ju-
dicatus sit, cui professorum munus in Academia com-
mendaretur, in quo deinceps, *οὐν θεός*, multiplicis & va-
riæ doctrinæ edet fructus uberrimos.

Significamus porro omnibus & singulis, Consultissimum
hunc & Clarissimum virum, Dn. D. SIMONEM TOELE-
MANNUM, Collegam nostrum Colendum, Crastino die, qui
erit hujus mensis 25. hora 9. legitimo ac solempni, in hac Academia,
more & consuetudine, publice introducendum esse, quod Deus
Opt. & Maximus huic Academiae faustum esse velit, & ipsi Colle-
gæ nostro honorificum & salutare. Ad quam introductionem
ut Magnificus Dn. Rector, Dnn. Professores, & omnes omnium
facultatum Doctores, Concionatores, Magistri, & Studiosi juve-
nes ornatissimi doctissimiq;, frequentes conveniant, & Collegæ
nostri piis cœptis & auspiciis verbis & animis syncerè faveant,
ejusq; labores in excolendo Themidis Viridario precibus ac vo-
tis suis Jehovæ in excelsis commendent, omnes ac singulos re-
verenter & amanter invitamus, oramus, hortamur. B. v.
Publicat. d. 24. Maij 1621.



Concilium, culpam nullam volunt agnoscer
cert a se subijciant.

Plato lege sancivit, ut pueri usq^{ue} ad du
num vini usum prorsus ignorarent; Juvene
te & vini repletionem omnino abstinerent: q
ventutis habitum cavere oporteret. Athen
Solonis omnem ebrietatem improbabant, &
inebriaasset: hunc morte mulctabant: quippe
ebriosus, & cuicumq^{ue} rei praefectus omnia sub
gium, sive curram, sive exercitum, sive quā
commissam. Nolite, inquit Gentium Doct
in quo est luxuria. Et Seneca. Quid t
factor in ore, tremor in corpore, qui promit
ta, cui mens alienatur, facies transformata
non linguam non manum continet, crescit
crudelitas servo, malignitas livido, omne v
prodit. Quid ad haec nostri Dnn. Stud
quiunt, non jam amplius labes sed laus e
virtus: propter quam nemo Studiosus sit pe

De immanibus verò & Cyclopicis vocij
de quibus D. Augustinus, Quisquis amissa
insanā fuerit ebrietate prestratus, adversa
quos integros videre nequit, aut sermone l
ba emittit, & vana dicta componit, MAL
& BENE SIBI SONANS.

Tantum vociferans quantum no
Mille viri clamare solent, qui
Interrogati Stentores quid Claudiana ha
columnas rumpentia mereantur? Non pœna
eramus ebrij. Atqui Pittacus Mitylenæus, un
pientibus, temulentos, si quid deliquissent, a
curavit: ut formidine supplicij à vino pro
Imoajunt, sunt tonitrua illa nostra hilaritat



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart Serial No. TE263